DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ, Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. CAROLO-LUDOVICO VARNIER, Doctore Medico Præside.

An prægnanti, superveniente uteri Hæmorrhagiâ, partus manu promovendus?

I.



OMINIBUS insitum est à naturâ, ut retinendæ vitæ, sic etiam, quæ altera quasi vita est, suscipiendæ prolis desiderium. Non inani ludere credit imagine cui dulces sunt filii, mores & imaginem paternam referentes. Cautum est igitur à summo Creatore, ut certo ætatis tempore, ubi accretionem legitimam acquisierint partes, tonum fibræ, *energiam* fluida, favente longo testium tractu, miro complicatâ ordine tenuissimorum vasculorum congerie, spermaticis arteriis officiosè famulantibus, humor prolificus elaboraretur, & ulteriùs per vasa deferentia vesiculis seminalibus crederetur. Cautum est ut, roboratis ad emissionem partibus, magnâ vi constrictis, in actum erumpentibus, spiritibus turgescens semen in arva naturæ spirantia projectum, hominis primordia excitaret, evocaret ad vitam, propelleret ad motum. Ergò semen humor etsi mole parvus, substantiæ nostræ pars melior, sarcina non inutilis, secretionum ultima & perfectissima, in quo nidulatur vita quam mox daturus est, cujus in sanguinem refluentis beneficio firmantur partes, quem non sine sanitatis, imò vitæ ipsius dispendio elargitur prodigus amans & amens, semen primâ ætate humore plurimo diffluens, ideòque immaturum, in juventute acriùs erumpens, addicitur generationi, inchoatque conceptionem. Quomodo autem id fiat enodare arduum. Numquid enim in semine vis delitescit sui formatrix, sibi domum architectans? Absurdam rem! Numquid conceptus est actio seminum utriusque parentis mixtorum in disponendam prolis generandæ materiam? Fœminis deficere semen demonstratur. Numquid deciduæ ab universo corpore quæ modò confusæ latebant seminis particulæ ita motu adventitio expediuntur, ut singulæ migrent ad effingendas partes iis planè consimiles à quibus effluxerunt; quæ à capite prodiere conveniant ad coagmentandum caput, quæ à pectore ad pectus, quæ à renibus ad renes, &c? Hæc obsolevere ex quo organi cujusque mechanismus, partis cujuscumque functio propria innotuerunt. Adhuc forsan submersa puteo veritas latet. Quid enim sentiendum est de Neotericorum systematibus? Si quibusdam fides adhibeatur, aura seminalis in uterum avidè hiantem appulsa per tubam ad ovarium fertur, ova veterno sepulta excitat, fœcundat, ova fæcundata per tubam in uterum deferuntur. At quo pacto tunica tubarum valida, dura penetrabitur? Quo pacto ova per tubam non mediocriter distantem ab utero viam relegere enitentur: Secundum quosdam nec inferioris notæ; seminalis aura calcaribus admotis sanguinea subit vasa, cruorem fœmininum invertit, succorum mutatur indoles, ovum tumescit, inflatur, libertatis impatiens carcerem (ovarium dico) relinquit, per tubam motu & calore dehiscentem labitur in uterum, huic alligatur alimoniæ suscipiendæ gratiâ, nec indè excernitur nisi solutâ adhæsione. At nonne longum iter simplicitatis amans natura recusat? Tot & tantis difficultatibus perterriti quidam nova, inaudita, ingeniosa forsan finxerunt commenta, splendido errore ludentibus microscopiis in masculino semine visi sunt vermes mira-

* *Authore Joanne-Baptistâ-Ludovico* CHOMEL, *anno* 1742.

biliter ita pullulantes ut gutta ſeminis decies centena millia & amplius animalculorum contineat quæ, toti Europæ incolendæ ſufficerent. Ex tot millibus vitâ plenis unum quandoque, rarò duo aut tria, cæteris inutiliter à naturâ creatis, benignè ab ovario excipiuntur. Vermiculi cauda umbilicalem informat funem quâ ſucci appellant : vermiculi pellis liquore uberiori expanſa *amnios*, cicatriculâ inſignis ovi membrana *chorion* erit. Si tunc vermiculus probè omnem ovi ſubſtantiam impleat, maſcula proles erit; ſi non omninò repletur ovum, naturæ ſuæ adhuc particeps matris retinebit imaginem & ſexum. Ergo fit ex verme homo, fit metamorphoſis in homine, ut in inſectis : quis referens non horreſceret ? Quidquid ſit, quocumque modo id fiat quod nos angit & latet, ex congreſſu maris & fœminæ naturæ votis reſpondenti, concipitur fetus momento facili difficiles parentibus ærumnas procreaturus

I I.

CONCEPIT mulier ! ſinu geſtat fovetque fetum ! quemadmodum enim ſemen terræ gremio exceptum humoris ope cœleſtis intumeſcens, calore ſolis intùs agente & movente ſuſcitatum fibrillas emittit, radices diſpergit, culmos caules aſſurgens producit, folia tandem, flores, fructus atque ſemina ubertim effundit ; ſic ovum uteri ſinu ſuſceptum, ſpiritu maſculo priùs perfuſum, calore materno fotum, nervulos, arteriolas, venulas expandit, pelliculas, membranas pertundit, obvios uteri porulos permeat, movetur, movet, animatus eſt, inutilia pellit, vitales ſuccos avidè haurit, hos ſubigit, recoquit, puncto ſaliente ſe prodit. Ne verò pereat delicatula hæc generis humani radicula, ſapientiſſimi creatoris benevolentia tuniculas tenues modò, modò validas extruxit membranas ut embryonis in dies magis ac magis aleſcentis, increſcentis fulciantur rudimenta : nec enim ampliùs ovum, nec embryo, jam fetus eſt plenius expoſcens pabulum. Alimoniam ergò dat abundè (fuſiùs quandoque) placentula. Hæc membrana innumeris fetûs & fœtæ vaſis informata & irrigua, utero ſpongioſi pulpamenti ope molliter adhæreſcens, ſuſtinet univerſam molem fetûs cum ſuis membranis & aquis quibus innatat. Num verò ſanguinis materni parte puriori fruitur ut cedat in nutrimentum ? Num ſui juris glorioſus infans lacteo-chyloſam à matre ſuſcipiens materiam, hanc elaborat, ſibique propriam facit ? Num oris ope liquorem *amnii* ſugit infans, vel ſolius umbilicalis funiculi beneficio vitâ fruitur ? Utinam verum demonſtraretur. Quidquid ſit, plus metuendum, plus arcendum eſt periculi ex turgeſcenti matris ſanguine, quàm expoſcenda luxurians ubertas. Nulla etenim inter abortionis cauſas præſentior, nulla frequentior periculoſiorque quàm plethora. Dubitas ? Prægnantis ſtatum attentiùs conſidera. Fetûs vel gratiâ vel præſentiâ conſuetæ hactenus purgationes irretiuntur, turbantur, vel ceſſant, indurantur lacteſcuntque mammæ, micant reptantes venæ, liveſcit areola, qui modò vix pyrum magnitudine ſuâ ſuperabat uterus expanditur ; extenduntur vaſa ejuſdem ; major fit humorum appulſus, comprimuntur viſcera vicina, horum retardantur functiones, abdomen ad rupturam fermè inflatur : novus hoſpes motu, calcitratione, pondere ligamenta tendit, aortam deſcendentem vaſaque ſanguinea gravat, matris turbat animum : pallor vultûs, oculorum albicantium cavitas, palpebrarum gravitas, inguinum tumor, nauſea, pica, urinæ albicantes, ſtillantes, pulsûs vehementia, corporis torpor, ad ſomnum proclivitas, lumborum gravitas, vomitus aſſiduus, ptyaliſmus creber, tenebricoſa vertigo, dolor capitis, odontalgia pertinax, miſeras malè viciſſim torquent prægnantes. At ex plethorâ uberiùs exundante graviora manent. Funeſtam ſortem ſubit ſæpiùs heu ! immaturus infans quem ſinu geſtat plethorica mater. Prægnans abortit, & quæ vitam erat elargitura parat ultrò necem non ſine magno propr æ vitæ diſcrimine.

I I I.

CUM omnis naturæ cura eò ſpectare debeat ut fetus non priùs in lucem edatur quàm exactis novem geſtationis menſibus, ſuam fuerit conſecutus maturitatem, ſic abortus pronuntiandus eſt, ubi fetûs immaturi ante diem excluſioni præſcriptam exitus quâcumque de causâ concitatur & commovetur Quidquid autem uteri ſpaſmum valebit irritare, quidquid illius fibras vellicabit, quidquid placentulam ſuccutiet, quidquid muſculos abdominis ſuſcitabit, nervorum *erethiſmum* excitabit, quidquid humorum accendet *orgaſmum* veluti mochlicum, emeticum, ſaltatio, ictus, lapſus, diæta vinoſa, aromatica, ignes fluidi, febris violenta, &c, illud omne mox abortum promovere valebit. Uterus pars nervea, muſculoſa, ſenſu donata exquiſitiſſimo, cum omnibus fermè abdominis partibus nervorum interventu cohærens & conſentiens, facillimè irritatur & afficitur. Abortum promovent morbi quamplurimi, tuſſes ferinæ, dyſenteria, inteſtinorum tormina renum calculus, ſcorbutus, variolæ confluentes, omnes peracuti morbi. Sit prægnanti in victu ſobrietas, in motu & quiete certa ratio ; curſus, ſaltus, choreas devitet ; equitatione vel venatione non delectetur ; alvus nec nimiùm ſit ſtricta, nec laxa nimiùm ; partus immaturos caveas ne provocent vehementes animi affectus ; non ſpem uteri avertant terror, ira intenſa, nec medullis acriùs inſidens amatorius furor disjiciat homuncionis radiculam. Quot

ergo undique circumſtant pericula! Nondum ſatis eſt: periculoſiorem jam innuimus abortionis cauſam, plethoram vocant. Hæc ex nimiâ præſertim rubræ partis ſanguinis mole ducens originem uteri vaſa diſtendit, placentam ingurgitat, fetum penè ſuffocat, ſuccoque nutriente defraudat inſontem. Si igitur plethoricæ prægnantes, naturæ ſuadente vi primis geſtationis menſibus placidam menſium non habeant excretionem, ſi venæ ſectione ſat frequenti non ſubleventur, metuendum ne uteri vaſis ſanguine turgidulis placenta nimio preſſa pondere fatiſcat, concitetur tandem immedicabilis hæmorrhagia. Tunc ſanguis non guttatim, non albidus, non ſeroſus, ſed floridus, continuòque erumpit. Comitantur hanc ſanguinis excretionem dolores lumborum & coxendicis; hypogaſtrica dolet regio & ad umbilicum ſerpit pungens hic dolor, nauſeabunda mulier pondus ſentit novum, mammæ detumeſcunt, livida facies, pulſus creber, durus, modò febriculoſus, elanguentis & tremuli fetûs agitationes uteri hæmorrhagiam comitantur, quâ datâ portâ irruente cruore arteriæ hiant magis ac magis, plorant ſanguinem. Si tunc ſanguis in grumos concretus conglobatim exit, cordis palpitatio, lipothymia viribus effœtis ſanguinis lapſum ſequuntur. Numquid ad volatilia, alexiteria, aſtringentia ſit confugiendum? Falsâ ſpe deluſus ſe tui & matri morâ exitiali nocebis; partum potius juves illicò, matris fetuſque vitam opportunâ operatione ſervaturus.

IV.

PRÆGNANTES plethorâ facillimè turgeſcentes quocumque geſtationis tempore, ſivè ante, ſivè poſt ſeptimum menſem, hæmorrhagiâ corripiuntur; præſertim ubi caſus, colliſio, nimia membrorum extenſio, vehementes animi affectus præceſſerint. Hæmorrhagia, ſivè ſanguinis immodicum & continuum profluvium avulſas facit ſecundinas. Si perſeverat, animi deliquio corripitur prægnans, ſpaſmo & convulſionibus torquetur, præceps ſubit mors. Non igitur cunctandum. Ergò ubi ſatis de hæmorrhagiâ conſtiterit, tum quod ſanguis conglobatim & continuò ſtillat, tum quod ſecundinæ ori uteri adjaçent, ad operationem citò devenias; nec teras tempus in præſcribendis cardiacis potionibus, aſtringentibuſve remediis actionem vaſorum ſpaſmodicam excitantibus, non ſedantibus. In ſpectatione periculum eſt ne gravida ſub manibus expiret. Fetûs ergò acceleretur excluſio. Adhibitis quæ requiruntur cautionibus, collocatâ convenienter ægrâ, ſuperiore & inferiore corporis parte æqualiter in lecto recumbentibus, (quod in partu naturali aliter ſe habet) obſtetrix digitis butyro recenti vel oleo inunctis, os uteri tangat, ſenſimque dilatet, ita ut digitorum omnium apices poſſit intrudere. Omnia tunc cum judicio, arte & induſtriâ peragenda ſunt, pro re præſenti, pro fetûs ætate; ore uteri ampliato, membrana digitis laceranda eſt, in ruptam membranam, favente aquarum lubrico flumine, immittenda manus, infantis pedes ſuo loco quærendi, ſepoſito quovis alio membro ipſomet capite. Nec matris viribus confidas. Pedibus infantis repertis, hos, ſi fieri poteſt, conjungas, trahas, vertaſque infantem, ita ut ventre digitis pedum & facie pronis, infans vergat ad inteſtinum rectum, ſicque omninò extrahatur. Quo facto ſtatim & ſecundinæ educuntur, viam monſtrante funiculo umbilicali. Uterus ſedulò repurgetur ab omnibus ſanguinis grumis & membranis, ſi tamen ſinant ægræ vires; ſecùs lochiis ſuccedentibus res omnis committenda. Inter operandum jubente periculo ſactâ baptiſmatis undâ abluendus eſt, & regenerandus. Sublato & deligato quamprimùm fetu, reciſo umbilicali funiculo, excluſis opportunè ſecundinis, matri providendum. In partu naturali puerpera niſibus ſuis operationem non ſine dolore ſollicitantibus rem aggreditur, incohat, perficit, ſivè aerem per manum clauſam cohibeat, ſivè diaphragmatis muſculos complanet, abdomenque ad inferiora comprimat: at in violento partu arte famulante & obſtetricante indiget puerpera. Quantâ igitur prudentiâ, doctrinâ, manſuetudine, experientiâ indigeat obſtetrix, quis ibit inficias? Abſolutâ partûs operatione, puerperâ in lectum calidum delatâ, omni ſublato refrigerio, in medio quaſi tepore blando, altâ quiete contineatur ægra ſine ullo corporis motu. Diæta præſcribatur ſecundùm indicationes; ſi febris ardet, tenuis ſit victus; ſecùs, lautior concedatur, ut evacuationibus ſufficiant vires. Enemata emollientia quâque die præſcribantur, ne humorum diverſi generis ſalſedine irritentur viſcera. Lacte generato, & ad mammas ubertim appulſo, præcedente motu horripilatorio, & febrilem rigorem mentiente, lac apparet ſpiſſius, areolam conſpurcans, colore flaveſcens, naturale infantuli repurgamentum, mox albedine, dulcedine, conſiſtentiâ donandum. Si tamen perverſus lac non conſervandi animus puerperam corripuerit, infanſque per nutrices mercenarias ſit educandus, lactis ad evacuationem & turbas attendendum. Quo quidem in caſu in præſcribendis ſaphænæ ſectionibus prudens feſtina lentè, remque potiùs dubiam naturæ ſolerter medicanti committas, quàm remediis temerè utendo, infamiam incurras.

V.

QUIS, inquies, partum non ſuadebit promovere, ubi nulla ſpes affulget futurum ut, hæmorrhagiâ ſuperveniente, ſalvâ matre, ſalvus eſſe poſſit fetus? At non operationem tantùm ſuademus &

præſcribimus, hanc feſtinare neceſſarium, hanc tardare noxium aſſerimus. Inter pericula quæ prægnantes circumſtant, haud ſævius ullum novimus, quàm quod ex hæmorrhagiâ venit. Tunc venæ ſectioni confidentiùs morbi curatione commiſsâ, eluditur ſanatio, & ad operationem deveniunt, ubi de ſorte matris & infantis penè conclamatum eſt. Quid tunc auxilii ſperabunt ex arte mater, infanſque? Languent matris vires, marceſcit fetus, & quemadmodum flos tenellus ex arbore filo tenui adhuc pendens & vegetans modò decidit levi quâcumque de causâ ruptus, ſic infans quem turbavit uteri hæmorrhagia, aquarum, ſanguinis, humorum pondere ſuffocatus modò peribit, ni ad lucem, ad vitam evoces. Ergò infans cara ſpes parentum, cujus nati, naſcentis vel naſcituri diſturbare animam eripere eſt, infans quem immaturâ excluſione promovere nuſquam licitum fuit, nequidem utile, perit. Ergò dum ſinunt utriuſque vires, jubet utriuſque præſens ſtatus ad operationem accingi, neutrum juves, ſi alteri ſubveniri non poteſt, quin lædatur alter: fallor. Nuſquam terrarum evenit, ut expediat matrem vel infantem enecare. Vel enim vitâ orbatur infans, vel non. Mortuo fetu ſæpè res omnis naturæ committenda: proprio marte hoſpitem, nece ſuâ factum hoſtem propellit foras. Vitâ ſi fruitur infans, foraſque exire non poſſit, tum propter imperviam oſſium innominatorum diductionem, tùm propter varia impedimenta, ne dicas tunc cæſareum partum in certâ deſperatione dubiam ſpem eſſe. Quoties ſalvâ matre ſalvo fetu tentatus eſt! Quemcumque ergò in ſtatum devenerint mater infanſque, habent quod ſperent ex arte. Sed quid in præſenti caſu, nempe in hæmorrhagiâ uteri ab operatione reformidabunt? Ex arteriis funditur in hæmorrhagiâ ſanguis, arteriarum ora neſcient coaleſcere, quandiu præſente fetu uterus extendetur; nec conſtringi, nec priſtinum recuperare tonum poterunt, nec ceſſabit hæmorrhagia: fruſtra ad venæ ſectionem, tanquam ad ſacram confugies anchoram, fluidorum imminutâ mole vegetior arteriarum erit elater, accreſcet hæmorrhagia: inutiliùs etiam aſtringentibus confides neſcit fibrarum tonus comprimi, ſuſcitatur. Quòcumque ergò te vertas, citò deveniendum eſt ad operationem.

Ergò prægnanti, ſuperveniente uteri hæmorrhagiâ, partus manu promovendus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Renatus SIGAULT.

M. Joannes-Armandus ROUSSIN DE MONTABOURG.

M. Joſephus-Maria-Franciſcus LASSONE, *Regis ab omnibus Conſiliis; Archiatrorum comes deſignatus; Sereniſſimæ Reginæ Medicus Primarius; è Regia Scientiarum Academiâ, Regiæ Societatis Medicæ Pariſienſis pro Epidemiis inſtitutæ Inſpector & Director perpetuus; Univerſitatis Medicinæ Monſpelienſis Doctor aggregatus & honorarius, Regius Librorum Cenſor.*

M. Henricus-Alexander TESSIER, *Clericus, è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ.*

M. Natalis-Nicolaus MALLET.

M. Julianus BUSSON, *Noſocomiorum Regiorum in Britanniâ Inſpector, & Sereniſſimæ Comitiſſæ Atrebatum Medicus Primarius.*

M. Auguſtinus THOURET, *è Regiâ Societate Medicâ Pariſienſi pro Epidemiis inſtitutâ.*

M. Franciſcus-Ludovicus THOMAS D'ONGLÉE.

M. PETRUS BERCHER, *Antiquus Facultatis Decanus, Regiæ Hiſpaniarum Infantis, dum viveret, necnon Regii exercitûs ad Infimum Rhenum in ultimo bello Medicus primarius.*

Proponebat Pariſiis, JOANNES-BAPTISTA-JOSEPHUS THÉRY, Atrebatenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus A. R. S. H. 1778. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1778.